



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Agenda, Sev Ritvale Osnabrvdense**

**Franz Wilhelm <Osnabrück, Bischof>**

**Coloniæ Agrippinæ**

Quibus non liceat dare ecclesiasticam sepulturam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41233**

*Laici cadaver, quolibet generis aut dignitatis titulo praeeditus ille fuerit, Clerici ne deferant, sed laici.*

*Corpora defunctorum in Ecclesia ponenda sunt, pedibus versus altare majus; vel, si conduntur in Oratoriis aut Capellis, ponantur cum pedibus versis ad illarum altaria: quod etiam pro situ & loco fiat in sepulchro. Presbyteri verò habeant caput versus altare.*

*Ceterum, nemo Christianus, in communionem fidelium defunctus, extra Ecclesiam aut cœmeterium rite benedictum sepeliri debet: sed, si necessitas cogat, ex aliquo eventu, aliquando ad tempus aliter fieri; curetur, ut, quatenus fieri poterit, corpus in locum sacrum quamprimum transferatur; & interim semper Crux capiti illius apponi debet, ad significandum, illum in Christo quiesse.*

### Quibus non liceat dare Ecclesiasticam sepulturam.

**I**gnorare non debet Parochus, qui ab Ecclesiastica sepultura ipso jure sint excludendi; ne quemquam ad illam, contra sacrorum Canonum decreta, umquam admittat.

*Negatur igitur Ecclesiastica sepultura Paganis, Iudaeis, & omnibus infidelibus; hereticis, & eorum fautoribus; apostatis à Christiana fide; schismaticis; & publice excommunicatis majori excommunicatione; interdictis nominatim, & iis, qui sunt in loco interdicto, eo durante.*

*Seipos occidentibus ob desperationem vel iracundiam, (non tamen si ex insania id accidat,) nisi ante mortem dederint signa pœnitentiae.*

*Morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint pœnitentiae signa.*

*Manifestis & publicis peccatoribus, qui sine pœnitentia perierunt.*

*Iis, de quibus publice constat, quod, semel in anno, non suscepterint Sacramenta Confessionis & Communionis in Pascha, & absque ullo signo contritionis obierint.*

*Infantibus, mortuis absque Baptismo.*

*Vbi vero, in predictis casibus, dubium occurrerit, Ordinarius consulatur.*

### Exequiarum ordo.

**C**onstituto tempore, quo corpus ad Ecclesiam deferendum est, convocetur Clerus, & alii qui funeri interesse debent; & in Parochialem vel in aliam Ecclesiam, juxta loci consuetudinem, ordine conveniant; ac, datis certis campanæ signis, eo modo & ritu, quo in eo loco fieri solet, Parochus, indutus superpelliceo & stola nigra, vel etiam pluviâ ejusdem coloris, Clerico præferente Crucem, & alio Aquam benedictam, ad domum defuncti, una cum aliis, procedit. Distribuuntur cerei, & accenduntur intorticia. Mox ordinatur Processio, præcedentibus laicorum Confraternitatibus, si adsint; tum sequitur Clerus regularis & sæcularis per ordinem; binique procedunt, prælata Cruce, devote Psalmos, ut infra, decantantes, Parocho præcedente feretrum cum luminibus. Inde sequuntur alii, funus comitantes, & pro defuncto Deum rite deprecantes sub silentio.

Parochus vero, ubi ad fores vel domum defuncti pervenit, mox dicit Antiphonam: Si iniquitates. Et Psalmum: De profundis clamavi &c. ut supra. In fine: Requiem æternam dona ei Domine: & lux perpetua luceat ei. Et repetit Antiphonam totam, Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater no-

ster.